

... und ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...

...
 ...
 ...

...
 ...
 ...

...
 ...
 ...

...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...

...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...

...
 ...
 ...
 ...
 ...

...
 ...
 ...
 ...
 ...

TOMUS XXXIV.
MISCELLANEOUM.

~~G. V. f.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 b. 11.

THESES THEOLOGICAE

DE

PECCATO
ORIGINIS.

QVAS

Deo opt. Max. favente,

PRÆSIDE

CLARISSIMO VIRO,

D. IACOBO KIMEDONCIO SS.

*Theologiae D. & Professore in celeberrima
Heidelbergensi Academia, publicè examinandas
proponit,*

MATTHIAS DAMIVS

HARLEMIVS BELGA.

Ad diem 27. Martij, loco & hora consuetis.



HEIDELBERGÆ,

Typis Smeismanniis, Anno c. l. s. IV e.

THESES THEOLOGICAE
DE
P E C C A T O
O R I G I N I S

DE OPE MAX. FAVENI

PARS I
CLARISSIMO VIRO

THEOLOGO D. E. PROFESSORE
VIRI HEIDELBERGENSIS
PUBLICAE EXAMINATIONIS
PROMPTORI

WILHELMUS DAMIENUS
HARTELIIUS





DE PECCATO ORIGINALI.

THESIS PRIMA.



PRIMA fide tenendum est contra Pelagij errorem, non nasci hominem in eo statu in quo fuit Adam ante præuaricationem.

a *August. epi. 106.*

I.
Quòd sit
peccatum
originale.

II.

Nascimur siquidem b filij iræ, c proni ad malum d & miseris omnibus obnoxij. At Adam bonus fuit conditus, & ad imaginem Dei; hoc est f; vera iustitia & sanctitate præditus g; nec moriturus fuisset nisi peccasset.

b *Eph. 2.* c *Gen. 6. & 8.* d *Eccl. 40. 1. Job. 14. 1.*

e *Gen. 1.* f *Eph. 4. Col. 3.* g *Sap. 2.*

III.

Facile autem damus, atque vltro agnoscimus & defendimus, aduersus calumnias Bellarmini, rectitudinem illam primi hominis, non fuisse ei naturalem, sed donum Dei supernaturalè; sumendo naturam pro parte aut proprietate essentiali hominis. Quæ enim sic naturalia sunt, saluâ essentiâ amitti nequeunt.

Bellarmin. de gratia primi hom. cap. 1.

IV.

Sed accipiendo naturam pro statu in quo conditus fuit homo, qui etiam per modum naturæ in vniuersam stirpem, peccato non interueniente, propagatus fuisset (quo sensu August. alicubi naturam instituti hominis vocat) hac sanè ratione, b. autores idonei, innocentiam, atque immortalitatem primorum parentum, naturalem appellant. Quò, & communis distinctio facit naturæ integræ & corruptæ.

A 3

Aug.

h *Aug. de lib. arb. lib. 3. cap. 18. Leo Papa serm. 13. de passione.*

V.

Porro iustitia & felicitate originali se & posteritatem suam generis nostri parentes miserè spoliarunt, impulsore diabolo: & gráui iugo, iam inde ab utero matris nos subdiderunt; sub quo gementis vox est, *k, miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore mortis?*

i *Eccl. 40. 1.* k *Rom. 7.*

VI.

Nota est historia lapsus in paradiso. Sed eratne esus pomi, vel quisquis fructus is fuit, tantum peccatum? Imò verò longè maximum: ob seueram prohibitionem sub interminatione mortis. Idcirco Paulus *Rom. 5.* peccatum hoc inobedientiam dixit, quæ tanto maior fuit, quanto in naturæ integritate & vita illa paradisi, facilior esset seruantia mandati.

VII.

Concurrebant & multa alia peccata, de quibus Augustinus in *Enchir. ca. 45.* superbia & φιλαυδία, incredulitas, cum diabolo fornicatio, homicidium & crudelitas in propriam stirpem, & si quid aliud in hoc vno peccato inueniri potest. *Credidit Adam diabolo, non credidit Deo, inquit Prosper. Perdidit fidem, perdidit continentiam, perdidit caritatem.*

Prosper ad capitula Genuensium, dubio 3. & ca. 19. contra Coll.

VIII.

Asserebat Pelagius a Adami præuaricationem ipsi soli, non etiam propagini ipsius nocuisse. Sed qui hoc dicit contradicit Paulo, *Per unum hominem peccatum in mundum introijt, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrāsijt, in quo omnes peccarunt. Rom. 5.* En peccati & mortis originem. Cui definitioni inhærentes cum concilio b Mileuitano & c Palæstino & vniuersa Christi Ecclesia, Pelagiani erroris vesaniam detestamur.

a *August. epist. 106.* b *Conc. Mileu. can. 1.*

c *Aug. dicta. epistola.*

IX.

Excipiebat hæresiarcha, quòd ad mortis originem d; moriturum fuisse hominem etiamsi non peccasset: necessitate videlicet

III

videlicet naturæ, non pœnâ peccati. Sed hoc e. fides Chri-
stiana respuit, tam corporis quàm animæ mortem pec-
cato tribuens.

d apud Aug. de peccatorum mer. lib. 1. cap. 2.

e Gen. 2. v. 17. ibidem cap. 3. 19. Sap. 1. 13. & cap. 2. 23. Eccles.
25. 33. Rom. 6. 23. & cap. 8. v. 10. 1. Cor. 15. 22. & seq.

X.

Distinguit tamen f. August. (quem g. Lombardus & scho-
lastici communiter in hoc sequuntur) corpus Adami ante
peccatū & mortale & immortale fuisse, diuersimodè. Nam
& mori potuisse, conditione corporis animalis: & potuisse
non mori, beneficio conditoris: adeoque re ipsa moriturum
non fuisse, nisi ipse peccasset. Mori autem omnino non pos-
se, eius immortalitatis est, quæ sanctorum corporibus in re-
surrectione promittitur, quàm & Adam, tempore quo
Deus voluisset, venturus fore creditur, nisi cecidisset.

f Aug. de Gen. ad liter. lib. 6. ca. 25. item de pecc. mer. lib. 1.
ca. 2. de corrept. & grat. ca. 11. g lib. 2. sent. dist. 19.

XI.

Deinde, de peccati origine dicente Apostolo, *Per unum
hominem peccatum introiisse*, &c. caueatur h. deprauatio hære-
tica Pelagianorum, quam Erasmus in eum locum renouauit:
quasi Paulus de exemplo, non de propagine loquatur; nem-
pe ad omnes peccatum transiisse per Adam, imitatione;
quòd eum primò peccantem cuncti imitentur. Hanc tergi-
uerfationem textus abunde refellit, suffraganturque verita-
ti Catholicæ multa alia scripturæ dicta de peccato originis.

h Aug. lib. 1. de pecc. mer. ca. 9. Item, de nuptijs. & conc. lib. 2.
ca. 27. i Ps. 51. 7. Iob. 14. Eph. 2. Ioh. 3. v. 3. & seq.

XII.

Euidens quoque peccati illius *τεκμήριον* est, quòd nec in-
fantes à morte & miseriis seculi huius, & diaboli adedò inful-
tibus, immunes cernere est. *ibi enim pœna, ibi peccatum:*
ubi supplicium, ibi meritum.

XIII.

Est igitur peccatum originale. Sequitur, quid sit: & pri-
mum de nomine. Originale ab origine denominari dubium

II.
Quid sit
pecc. orig.

A 3. non

non est. Et quoniam peccatum originale non est nisi in homine, originale dicitur eo quod ab ipsa humanæ naturæ origine, corruptæ tamen trahitur. Aut ab origine, quia quisque illud cum natura trahit in ipsa sui origine.

Anselmus de conceptu virginali. Lombardus paulo aliter, lib. 2. dist. 31. lit. H.

XIV.

Ideoque dici etiam potest *naturale*, secundum Anselmum, Thomam & alios: non quod sit ex essentia naturæ, sed quoniam propter eius corruptionem cum natura assumitur.

XV.

Nam Illyrici portentum, qui peccatum originis substantiam esse contendebat, iure explosum est, utpote a Manichæismo quam fidei Christianæ coniunctius. Vtique non substantialis, sed accidens est malitia, ait Ambrosius *b*.

a August. lib. de heresibus & lib. 1. aduersus Julian, c. 3.

b Amb. lib. 1. hexa. c. 8.

XVI.

Qui peccatum originis definiunt transgressionem primi hominis nobis imputatam, siue reatum generis humani ob peccatum Adæ; neque nihil neque totum dicunt.

Meminit huius sententia Lombard. lib. 2. dist. 30. lit. E. & renouarunt eam Pighius controu. de pec. orig. & Catharinus, de lapsu hominis.

XVII.

Reatum istum, licet aliud putante Anselmo, cum Augustino & scholasticis Doctoribus agnoscimus: siquidem in Adam omnes peccauimus, & ex vno peccato condemnatio est in omnes, ait Apostolus. *Et mox*, Per inobedientiam vnus peccatores constituti sunt multi.

Anselm. de conc. virg. cap. 21. August. epist. 23. ad Bonifacium, & lib. 1. retract. cap. 15. Petrus Lombardus 2. sent. dist. 30. Beza in Rom. 5. v. 12. Confessio Augustana, repetita, art. 2. Merum igitur figmentum est, quod Bellarminus scribit lib. 5. de amiss. grat. cap. 15. à Lutheranis defendi peccatum primum Adami ad nos non pertinere.

Sed

XVIII.

Sed complectitur præterea peccatum originale corruptionem hominis natiuam. Nempe, vt Adam admissio peccato primùm reus est factus iræ Dei; deinde, quia reus erat, pœnam peccati, corruptionem corporis & animæ subiit: sic quoque in posteros naturam transmittit ream pariter & corruptam.

XIX.

Malum hoc sacræ literæ *a* carnem nuncupant: & *b* peccatum inhærens; & *c* legem membrorum, & *d* hominem veterem.

a Joh. 3. v. 6. Gal. 5. v. 16. & 19. *b* Rom. 7. v. 20. c. *ibidem* v. 23. d. Col. 3. 9.

XX.

Augustinus in scriptis contra Pelagianos *concupiscentiam* passim vocat; appellatione primum æquiuoca. Nam concupiscentia & de naturali potentia concupiscendi, & de actu eius, & de potentia eiusdem vitio, siue pronitate ad appetenda bona sensibilia contra rectam rationem, & denique de pullulantibus inde cupiditatibus prauis intelligi consuevit.

Augustinum sequutus Lomb. lib. 2. dist. 30. lit. H. & dist. 31. lit. B. peccatum originis dicit esse concupiscentiam, vt pro vitio sumitur. Sicut & Bonauentura inordinatam concupiscentiam definit.

XXI.

Deinde, præter quod vox illa per se angustior est, quam vt labem originalem satis exprimat (concupiscentia enim pars duntaxat est appetitus sensitiui, quem vocant) ab Augustino magis etiam plerunque arctatur ad concupiscentiam carnis siue libidinem.

XXII.

Placet tamen quorundam iudicium, in libris contra Pelagianos idè penè vbique de vitio sensualitatis loqui Augustinum, quia in sensualitate magis se prodat naturæ deprauatio, non quod ignoraret etiam in mente & voluntate locum habere, quod læpè tradit.

Aug. lib. 1. Retract. ca. 15. & de lib. arb. 3. ca. 18. & 19. item de spiritu & litera, ca. 27. 28. 30.

Dicimus

XXIII.

Dicimus igitur, corruptione, qua originaliter peccatores sumus, omnes animæ potentias affectas & infectas esse, quæcunque subiectum peccati esse possunt: ut sunt ratio & voluntas, *Ἰνὶ ἰσυχίᾳ καὶ ἰσχυρῶς*, siue concupiscibilis & irascibilis.

a Thom. Aquinas. 1.2. quest. 72. art. 2. & 9. 85. art. 3.

XXIV.

Nam secundum receptam sententiam a Anselmi, vitium originale est carentia iustitiæ originalis, quæ debebat inesse. Sicut ergo per iustitiam originalem voluntas Deo subdita erat, & rationem lumine veritatis illustratam, inferiores animæ vires sequebantur: ita dissoluta illa harmonia b, in inferioribus nunc inest inobedientia contra dominatum mentis, & in mente c cæcitas, ac in voluntate d auersio à Deo & pronitas quædam obsequendi mundanis concupiscentijs.

a Anselm. de conceptu virginali ca. 2. & 3. b Rom. 7. 23.

c 1. Cor. 2. 14. Matth. 16. 17. Rom. 8. 7.

d Eph. 4. 22. & seq. Ibid. ca. 2. 3. Gen. 6. 5. & ca. 8. 21. Joh. 15. 5.

XXV.

Quæritur, corruptio isthæc sitne mera priuatio, an & mala quædam qualitas positiua? Negat Bellarminus, sed contraria sententia, quæ fautores habet Augustinum, Thomam, & alios, est probabilis.

Bell. de amiss. grat. lib. 5. cap. 15. Augustin. de nupt. & conc. lib. 2. ca. 15. & presertim lib. 6. contra Julian. ca. 7. Thomas. 1. 2. qu. 82. art. 1.

XXVI.

Ac licet corruptio illa, quæ peccatum est originis, eo quo dictum est modo, in potentiis illis animæ, quæ peccati capaces sunt, spectetur; verè nihilominus in concilio Arausicano, can. 1. & in Trident. sess. 5. scriptum est, *totum hominem secundum corpus & secundum animam, per Adami prauaricationem in deterius esse mutatum.* Nam & aliæ animæ facultates debilitatæ sunt, & in corpore plurima existunt incommoda, & denique mors ipsa.

XXVII.

Sed discernere conuenit corruptionem quæ pœna peccati

cati tantum modo est, & quæ pœna simul & peccatum. Quædam enim sic sunt pœnæ præcedentium peccatorum, ut ipsa etiam peccata sint.

Rom. 1. v. 24. 26. & 28. August. lib. 5. contra Jul. ca. 3.

XXVIII.

De propagatione peccati huius non leuis quæstio est. Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit. Per quas igitur rimas inter tot præsidia innocentia, peccati ingressus est? Per vnum hominem, ait Apostolus, per vnus delictum, per inobedientiam vnus. En non rimam, sed apertissimam ianuam.

III.
Quomodo
propage-
tur pecc.
orig.

August. lib. 2. de nupt. & conc. ca. 28.

XXIX.

Omnes enim in vno illo peccauimus; quia cum peccauit, omnium carnaliter ex ipso nasciturorum personam in se vno gerebat: cum quia *a* omnes in ipso eramus secundum seminalem rationem *b*, tum quia dona Dei in gratia illa celsitudine sibi & naturæ acceperat: ideoque sibi etiam & naturæ humanæ pariter eadem perdidit.

a August. lib. 1. de pecc. mer. ca. 10. Ambros. in ca. 15. Luca.

b Anselmus de conceptu virg. cap. 22.

XXX.

Malum igitur hoc, velut iure hæreditario, cum natura propagatur, per generationem carnalem.

XXXI.

Eius siue causam, siue modum, opinione parum probanda, Augustinus referre solet ad libidinem parentum: quia absque ea non fiat concubitus, carnem quæ sic concipiatur, pollui & corrumpi. Id quod Lombardus quoque sententiis suis inseruit, *lib. 2. dist. 31.* Et addit, quod æquè inualidum est, ex carnis sic pollutæ contractu, animam quoque inquinari cum infunditur. Quomodo enim corpus spiritum inficiat, intelligi non potest.

XXXII.

Alij, sicut carnem ex carne, sic & animam ex anima traduci & maculam trahere voluerunt. Verùm hoc receptior & verior sententia respuit, quæ animas humanas seminat &

B formatis

formatis iam corporibus infundi, & infundendo creari stauit.

Lib. 2. sent. dist. 18. litera. H. & dist. 31. lit. B. Thomas p. prima qu. 118. art. 2.

XXXIII.

Ceterum, ad peccati originalis traductionem intelligendam, anxia magis quam necessaria est de traduce animæ questio. Neque enim in substantia carnis aut animæ causam habet contagio, sed quia à Deo ita fuit ordinatum, ut quæ dona in Adamum contulerat ea sibi & suis haberet ac perderet. Quare ad traductionem peccati aliud non requiritur, nisi ut homo per naturalem generationem ab Adamo descēdat.

Anselm. de conc. vir. cap. 7. & 10. Thomas prima secunda 81. art. 1. Scotus, Durandus, & alij in 2. sent. dist. 31. Bellarm. de amiss. grat. lib. 4. ca. 12. Cal. Instit. lib. 2. ca. 1. §. 7.

XXXIV.

Huic fundamento consequens est, omnes naturali propagatione ex Adamo venientes, nasci in peccato; æquè fidelium, ac infidelium liberos.

Psalms. 51. Eph. 2.

XXXV.

Pontificij nunc, post acria inter sese de hoc certamina, virginem matrem ferè excipiunt, propter honorem Domini, ut volunt. Vnde & festum immaculatæ cōceptionis Mariæ quod tempore Aquinatis ecclesia nondum admiserat, posterior ætas invexit. Sed nos fidei confessionem sequimur, omnes sub peccato concludentis: præsertim cum a aduersarij ipsimet fateantur, exceptionem illam probabilem duntaxat esse, non articulum fidei.

Bernardus, Thomas, Bonauentura, Alexander. Joh. de Turre cremata, Caietanus, & communiter Ordo Prædicatorum priuilegium hoc impugnarunt.

a Bellarm. de amiss. gr. lib. 4. ca. 15.

XXXVI.

Solum mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, cum de peccatis agitur, semper excipimus: qui ex Spiritu Sancto absque virili semine conceptus est, ut ceu agnus Dei immaculatus peccata mundi tolleret.

Luc. 1.

Luc. 1. v. 35. Ioh. 1. 29. 1. Pet. 1. 19.

XXXVII.

Liquet præterea ex præcedētibus, alia aliorum parentum peccata non propagari in sobolem, præter primum primi parentis. Quanquam interim non inficiamur, alia sæpè ratione proximorum parentum peccata liberis nocere.

Anselm. de conc. virg. cap. 23. Thomas 1. 2. quæst. 81. art. 2.

XXXVIII.

Liquet & hoc; in omnibus Adæ filiis par adeò & æquale esse peccatum originis.

IXL.

Sequitur de effectis huius peccati: quorum primum & valdè horrendum illud est, quod naturæ hæc deprauatio singulari inhærens, nos reostenet iræ Dei & condemnationis æternæ, nisi fiat remissio ex gratia,

Ioh. 3. v. 3. & 5.

XL.

Alterum est, quòd ingenita illa vitiositas opera in nobis profert, quæ scriptura vocat opera carnis; & sic mater fit omnium peccatorum, ipsa filia existens primi parentis.

Gal. 5. v. 19.

XLI.

Quòd ad curationem peccati de quo agimus, ea non medicos corporis quærit, sed gratiam Iesu Christi, secundi Adami & Domini de cælo, qui venit ut viuamus per eum.

1. Cor. 15. Rom. 5. Ioh. 3. 16. & 1. Ioh. 4. v. 9.

XLII.

Quæ autem gratiæ Christi superabundantia est, ea medicante curamur, ab omnibus simul peccatis & malis, originalibus & quibuscunque aliis.

XLIII.

Idque tribus, imò quatuor velut gradibus: condonatione plena peccatorum, & renouatione Spiritus sancti in hac vita, saltem ex parte; & post hanc vitam iustitiæ in nobis perfectione, itemque glorificatione ineffabili & sempiterna, in aduentu ipsius.

XLIV.

Quantisper quidem in hoc mortali corpore peregrinantur

B 3 tur

tur sancti, aliquid semper antiquę prauitatis remanet ad certamen, carne aduersus spiritum, & spiritu aduersus carnem concupiscente. In quo certamine etiam sanctissimorum vita laborat.

Rom. 7. sub finem capitis. Item. Gal. 5. & 2. Cor. 4. 16.

XLV.

Nec dubitamus confiteri, prauitatem illam reliquam, per se & suã naturã peccatum esse & Deo odiosam, licet ex gratia non imputetur iis qui in Christo sunt, & non secundum carnem incedunt, sed secundum spiritum.

Rom. 8. v. 17. & ca. 8. v. 1.

XLVI.

Quod igitur Concilium Tridentinum decreuit, concupiscentiam reliquam in renatis non esse verè & propriè peccatum, eo loco habemus quo plura alia cõcilij illius placita.

XLVII.

Magis exorbitans Bellarm. & errores erroribus cumulans, concupiscentiam siue prauitatem ad malam in parte inferiore, ex se & naturã suã peccatum esse negat *a*. Idemque statuit de deprauatione quę est in intelligentia, & ipsius quoque voluntatis propensione ad obsequendum desideriis carnis, & difficultate eiusdem ad obsequendum Deo *b*.

a Bell. de amiss. grat. lib. 5. c. 7. & sequentibus.

b ibid. ca. 14.

Redemptori gloria.

Umg. VI 45

ULB Halle 3
002 379 767



s. b.

WDA



... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...

... dicitur ...
... dicitur ...



THESES THEOLOGICAE

DE

PECCATO
ORIGINIS.

QVAS

Deo opt. Max. favente,

PRÆSIDE

CLARISSIMO VIRO,
D. IACOBO KIMEDONCIO SS.
*Theologiae D. & Professore in celeberrima
Heidelbergensi Academia, publicè examinan-
das proponit,*

MATTHIAS DAMIVS
HARLEMIVS BELGA.

Ad diem 27. Martij, loco & hora consuetis.



HEIDELBERGÆ,
Typis Sinesmanniis, Anno c. l. l. c. IV. e.

24

I

